

res antiquas, Erit hic natus celebris ac clarus, nominatusq; inter homines, ac multum fortunatus in rebus immobilibus.

In quinta significat quod pater erit diues ac abundans in substantia, natusq; habebit filium suum hereditarium, significatq; eum per filios prosperari.

In sexta si fuerit, nati pater erit spreus & abiectus, neq; cognitus, neq; nominatus, ac significat natum prosperari in causis ægritudinum & medicinae, facit mendacem, proditorem.

In septima, significat fortunam ex cultu terræ & fructuum, per causas uxorum & fatorum, & per negociationes, pater erit de malis hominibus, mali nominis, habebitq; natus patrem odio, ueniet nato substantia à muliere seu uxore.

In octaua, si fuerit nati pater erit modicæ uitæ, & mater forsitan in partu morietur, morieturq; natus extra natale solum, significat etiam substantiam mortuorum.

In nona, significat quod nati pater erit homo ignotus, extraneus, excecabitur, & mala morietur morte, significat etiam substantiam in causis spiritualium, & ex parte beneficiorum, præpositurarum, uel alicuius alterius prælaturæ.

In decima, significat fortunam per conuentiones & negociationes, & per uxores, & per causas Regis, & pater erit notus regi, & crescet in honore & bono, significat quoq; nato substantiam uenire à Rege, Ducibus, uel potentibus.

Si fuerit in undecima, pater erit modicæ uitæ, & mali status in uita, quam uet mox cum natus filius fuerit, sed postmodum exaltabitur, significat etiam fortunam propter fortunam ei naturali fato concessam.

Si fuerit in duodecima, parentes nati extranei erunt, remoti à locis suis, à quibus pro malo statu, & in indigentia recesserunt, & forte ingredientur ordinem, & natus forte in loco extraneo morietur. In causis inimicorum, substantiam immobilis consequetur, & in causis tribulationum, & angustiarum, sic quod cum difficultate profectum habebit.

### De domino quintæ, in duodecim domibus.

**D**OMINVS quintæ in prima, significat quod natus amabit filios, suos multum, significatq; nato multitudinem filiorum, & multitudinem gaudij, & conuiuiorum.

In secunda, si fuerit fortunatus, filij nati habebunt diuitias, & magnam substantiam, significat etiam nato euenire gaudium in causis diuitiarum.

In tertia, significat quod filij eius habebunt bonum, & utilitatem, à patris suis dat nato lætitiã in breuibus itineribus.

In quarta, significat quod nato filij multi erunt, habebuntq; nomina auorum, & auunculorum suorum. Et sicum eo fortuna fuerit fortunata, hereditabit bona auorum, & auunculorum. Et si infortuna uel cum infortuna fuerit, & ipse infortunatus ibidem, capientur, & incarcerabuntur, & accident eis anxietates, & labores. Gaudebit tamen natus de rebus immobilibus, ac parentibus suis.

Si fuerit in quinta: filij eius prosperitatem habebunt, & erunt uiriles. Natus erit multum lætus, & gaudebit de instrumentis musicis, & cantu.

In sexta si fuerit, natus uiuet, & habebit suum uictum de bestijs, seruis, & seruis, erit mitis, & de facili tollerans ægritudinem.

In septima significat quod filij patrem auersabuntur, habebuntq; causas, & rixas cum eo, inueniet gaudium ab uxore.

Si fuerit in octaua fortunatus, natus dimittet suis substantiam suam, & ipsi eorum filijs si infortunatus fuerit ibidem, paucos filios significat, lætabitur de hereditate mortuorum.

In nona